



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis  
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.  
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

**Henricus <Herpius>**

**Coloniæ, 1611**

De virtutibus informibus & formatis: ac de quatuor gradibus virtutum  
Cardinalium, & earum operationibus. Cap. XXIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37362**

Virtutes  
motales.

meditando suam deuotionem accendat. Quod si nec hoc facere potest, saltem diuinam bonitatem, seu propriam vilitatem recogitet, quod nulli est impossibile: quia nostrae voluntati subiacet, & in omnibus rectam intentionem habeat. Denique, virtutes quaedam dicuntur motales, quibus scilicet inferiores animae vires perficiuntur ad obediendum rationi. Quaedam verò dicuntur intellectuales, quibus scilicet ipsa ratio perficitur, quae est motiua virtutum moralium: & sic virtutes intellectuales praefertur virtutibus moralibus simpliciter. Dona proinde Spiritus sancti sunt, quibus omnes vires animae disponuntur ad hoc, quod motiui diuinae subdantur. Virtutes autem Theologicae sunt, quibus mens humana Deo coniungitur: & sic virtutes Theologicae praefertur donis. Dona verò potiora sunt virtutibus intellectualibus. Beatitudines autem dicuntur solum opera perfecta, quae ratione suae perfectionis magis attribuuntur donis quam virtutibus. Fructus itaque ministrant quandam ineffabilem & sincerissimam dulcedinem, fruibilem virtutibus & earum exercitijs.

*De virtutibus informibus & formatis: ac de quatuor gradibus virtutum Cardinalium, & earum operationibus.*

*Cap. XXIII.*

**P**ulchra es amica mea, suavis & decora. Virtus secundum Augustinum, est habitus mentis bene instituta, scilicet ad modum regni quod tunc bene dicitur institutum, si in eo recte consulatur, imperetur, & obediatur. Sic etiam ratio si recte consulit, voluntas recte imperat, & vires recte obediunt, tunc virtus per hanc institutionem in mente totam perficit animam, secundum tres potentias eam ordinans & disponens. Rectum autem, secundum Augustinum est, quando voluntas in nullo dissentit ab eo quod ratio recte sentit. Vnde virtus est thesaurus in agro cordis absconditus, & datum optimum quod descendit à Patre luminum. De quo dicit Augustinus lib. de moribus Ecclesiae: Erit, inquit, hominis optimum quod animam optimam facit: hoc enim est virtus charitate formata. Nam omnia alia bona communiter dantur tam bonis quam malis: sed bonis tantum datur virtus & gratia. Quamuis enim virtus homini naturalis est, secundum Bernardum: cui etiam concordat Philosophus, dicens: Virtus est habitus animi, modo naturae consentaneus rationi: Et ideo virtutes dicuntur naturales, quia sunt innatae quodammodo ipsi naturae, sicut naturalis mansuetudo.

Marth. 11.  
Iacob. 1.

suetudo, magnanimitas, verecundia, pietas, & sic de alijs: quæ ta-  
 men virtutes malitia vel bonitate complexionis impediuntur, vel  
 adiuuantur quandoque omnes, quandoque aliqua, quandoque vna  
 sola: & hoc in toto vel in parte. Multum enim læsa sunt & sopita in  
 auersione corruptionis originalis, ideo tardius exeunt in opus, nisi fre-  
 quenter exercitijs congruentibus adiuuentur. Vnde quamuis huius-  
 modi virtutes naturales sunt ipsius naturæ perfectiones, ita quod natu-  
 ra non habeat quod eis adiciat, tamen respectu diuinarum virtutum  
 vel infusarum, sunt naturales, & fundamentum, à quo perfectio sumit  
 initium: quorum perfectio & complementum est decus virtutū gra-  
 tuitarum, quæ sunt in fine perfectionis secundum speciem. Appellan-  
 tur tamen virtutes naturales, & earum operationes eisdem nomi-  
 nibus, quibus virtutes consuetudinales & diuinales, ac earum operatio-  
 nes. Hæ tamen virtutes sunt informes & steriles, nec hominem Deo  
 gratificant, nisi perficiantur virtutibus & donis infusis; sicut & virtu-  
 tes consuetudinales, quæ scilicet ex operis frequentia cõquiruntur, ita  
 quod virtutes naturales per exercitiorū consuetudinē augmentantur,  
 vt pote per quam exercitationem potentia liberatur, & quasi derumu-  
 latur ac detegitur velut ab emersione quadam: & ita erumpit in opera  
 maiora, vt quod prius erat angustum & graue, iam per exercitacionē  
 incipiat fieri latum & leue: necdum tamen huiusmodi virtutes sunt  
 Deo gratæ, nisi addantur virtutes diuinales, vel Theologicæ. De quibus  
 dicitur prima Corinthiorum: *Nunc manent fides, spes, charitas, tria  
 hæc: maior autem horum est charitas.* Quæ virtutes sunt alæ spirituales  
 ipsius animæ diuinæ bonitatis artificio ordinatæ. Veruntamen (vt di-  
 cit Seneca) initium eundi ad virtutes arduū est, quia hoc primum im-  
 becillæ mentis & agræ est, formidare inexperta. Itaque cogenda est  
 vt incipiat. Deinde non est acerba medicina, protinus enim delectat,  
 dum sanat: Virtus autem in pace acquiritur, in pressura probatur, ap-  
 probatur in victoria. Et secundum Augustinum, in tribus consistit or-  
 dinatio bonorum vel virtutū: scilicet in æstimando bonum de quolibet,  
 in exhibendo bonum cui libet, & in sustinendo patienter pro quo-  
 libet. Primum ordinat affectiones, secundum actiones, tertium indu-  
 cit vltimas & supremas perfectiones. Cum igitur à principio fecit  
 Deus hominem rectum imagine, ac etiam similitudine sua, scilicet ori-  
 ginali iustitia illum nobilitans, vt pars superior liberè tenderet in De-  
 um, & inferiores partes sensualitatis penitus essent subiectæ, nec in eis

Z ali-

virtutes  
naturales  
sunt

virtutes  
diuinales  
vel  
Theologicæ  
1 Cor. 13.

Virtus ac-  
quiritur.

Eccles. 7.

virtutes

**Virtutes  
principales  
quot.**

aliquid accidere posset, quod mentem à contemplatione diuinorum impediret, sed ab illa rectitudine cecidit per peccatum ad inferiora curuatus: oportet igitur vt totus homo denuo rectificetur, & ad inhaerendum liberè summo bono penitus erigatur. Septem sunt ergo virtutes principales, quibus totus homo tam inferior quàm superior ad pristinam rectitudinem reducitur. Quarum tres, scilicet fides, spes, charitas, sunt Theologicae, quae scilicet mouent in finem & obiectum, quod Deus est. Et quatuor cardinales, prudentia, fortitudo, temperantia, iustitia, mouent ad ea, quae sunt ad finem. Et licet hae virtutes sint gratuita per gratiam informantem, possunt tamen informes esse, vel fieri per culpam: & iterum formari per penitentiam, adueniente gratia, quae est habituum virtus, origo, finis, & forma. De hac tamen lege charitas excipitur, quae, sicut ceterae virtutes, non potest informis esse, cum ipsa sit forma virtutum omnium. Nam cum habitus aliarum virtutum habentur sine gratia & charitate, in quibus consistit vita virtutum & meritum, tunc dicuntur informes, sicut carbones extincti, rami aridi, vel aurum obscuratum, seu membra mortua. Cum verò gratia superuenerit, & charitas, tunc viuificantur, formantur, & decorantur, vt Deo gratæ, nobis autem meritoria reddantur. Virtutibus ergo bonum operamur, gratia verò bene & meritorie operamur, donis expedite operamur, beatitudinibus perfecte operamur, & fructibus Deo & virtutibus fruimur. Quatuor sunt ergo virtutes cardinales & principales, per quas ad honestatem vitæ quis peruenire potest: quæ, secundum Gregorium, solidum nostræ mentis adificium sustinent, vt pote ex quibus tota boni operis structura confurgit, quibus anima secundum partem inferiorem regitur, & in suis viribus rectificatur. Quia prudentia est in intellectu, iustitia in affectu, fortitudo in effectu, & temperantia in vsu: habent tamen gradus perfectionis in se. Nam aliter possident eas incipientes, in quibus regunt vitam quò ad opera exteriora, prout scilicet pugnant principaliter contra vitia, & instruunt hominem in agendis. Nam per prudentiam instruitur quò ad seipsum, & per iustitiam quò ad proximum, per temperantiam autem armatur contra vitia in prosperis, & per fortitudinem in aduersis. Et sic vocantur virtutes politicae, quia poliunt hominem, vel ornant in vita ciuili. Aliter autem eas possident proficientes, qui sunt iam in victoria vitiorum, & partim consistunt intus, & partim extra: tunc enim dicuntur virtutes purgatorie. In gradu

**Virtutes  
cardinales  
v. diuersi  
modè possi  
deantur.**

**Politice.**

**Purgatorie.**

gradu Prudentia valet in præcauendis infidijs: Iustitia in subueniendis aliorum miserijs: Fortitudo in perferendis molestijs: & Temperantia in coercendis prauis delectationibus. Aliter verò possident eas perfecti, qui iam deiectis vitijs & sopitis concupiscentijs, dulciter quiescunt in sponsi brachijs, ita quòd rarò iam insurgunt primi motus: & sic dicuntur virtutes purgati animi. In quo gradu, secundum Augustinum, prudentia succedit contemplatio, fortitudini firmitas adhaerentia, temperantia mensura dilectionis: iustitia verò debita ordinatio ad Deum, & ad proximum. Aliter denique consistunt in mente diuina: & sic vocantur virtutes exemplares, quia sicut rerum omnium exemplar est Deus, sic & idæ virtutù, quæ in Deo consistunt.

Purgatè  
animi.

Exemplares.

Hoc autem maximè mouere debet hominem ad amorem bonitatis & virtutum, quòd sicut ipse quando bonus est, melior est omnibus creaturis visibilibus; sic etiam quando malus est, peior est omnibus illis: quia non solum malus est malitia poenæ, sed etiam culpæ: vnde fit debitor mortis tam temporalis quàm æternæ. Et tamen adeò cecitas inualuit, adeò homo interior obsurduit, vt omnia velit habere bona præter seipsum: quia *cùm in honore esset, non intellexit, cõparatus est iu-* *mentis insipientibus, & similis factus est illis.* Virtus autè in cõspectu Domini tam pretiosa est, vt morti potius succuberet, quàm veritati contraireret, vt virtutes nobis æstimatione sua faceret pretiosas. Nimirum, cùm anima, quamuis nobilissima creatura, vt pote diuina imagine insignita, quicquid pulchritudinis & decoris habebit, ab ipsa virtute tam excellenter relucebit, vt concupiscat rex decorem eius.

Virtutù ad  
amorem quid  
maximè  
moueat.

Psal. 48.

*De commendatione virtutum, & de virtutibus cardinalibus, prout sunt politicae, purgatoriae, purgati animi, & exemplares. Cap. XXIIII.*

**P**leura es amica mea, suavis & decora. Ars bene recteque viuendi, virtus à veteribus definitur. Diffinitio verò breuis & vera virtus est ordo amoris. Nam in hac vita virtus est diligere, quod diligendū est. Id solum diligere, prudentia est: nullis inde molestijs auerti: fortitudo est: nullis illecebris auerti, temperantia est: nulla superbia iustitia est. Nihil igitur aliud virtutem affirmauerim, nisi summum amorem Dei. Vnde temperantia, est amor integrum se præbens ei quod amatur. Fortitudo, est amor omnia facillè tolerans, propter

Virtus qd.

Z 2 id quod